



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Capitularia Regvm Francorvm**

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum


**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

Illvstrissimo Viro Domino D. Ioanni Baptistae Colbert Regi Ab Intimis  
Consiliis Et Secretioribvs mandatis, generali aerarij moderatori, summo  
regiorum aedificiorum praefecto, regiorum ordinum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-19366**

LIBRARI



ILLVSTRISSIMO VIRO  
DOMINO D.  
IOANNI BAPTISTÆ  
COLBERT

REGI AB INTIMIS CONSILIIS ET SECRETIORIBVS  
mandatis, generali ærarij moderatori, summo regiorum ædificiorum  
præfecto, regiorum ordinum quæstori, Marchioni de Seignelay, Baroni  
de Seaux, &c.



*NTI QVAS Regum Francorum  
leges de jure civili & ecclesiastico per  
quadrinientos annos latae ab ipsis  
ferme fundati florentissimi istius im-  
perij primordijs usque ad Karoli III.  
tempora in unum corpus colligere cùm  
instituissim , ILLVSTRISSIME DOMINE, ea mibi  
semper mens ab initio suscepit hujus operis fuit ut quo-*

ā ij

## E P I S T O L A.

niam pro more ubique recepto nomina insignium virorum  
preponenda sunt lucubrationibus eorum qui studia sua  
in usum publicum convertunt, hanc capitularium, sic  
enim tum vocabant, collectionem tibi inscriberem ac de-  
dicarem. Nam quid tam aquum, quid tam rationi  
consentaneum quam ut haec leges quibus hoc regnum per  
tot secula stetit, quas etiamnum hodie intuemur velut  
fontes divini humanique juris, quas ceu sacrosanctas  
veneramur, sub auspiciis prodeant viri patriæ legum-  
que amantissimi, & qui universam rem literariam ita  
fovet ac protegit ut omnes, quotquot sunt, qui aut ve-  
terum scriptorum opera emendant & illustrant, aut sua  
edunt, plurimum se illi debere non inviti profiteantur?  
Neque verò de nostris tantum hominibus loquor ut pro-  
pè positis, ac si soli Galli tuam in literas earumque pro-  
fessores inclinationem scriptis suis celebrarent, **VIR**  
**ILLVSTRISSIME**, sed de exteris quoque atque à  
nobis longo terrarum intervallo sejunctis, quorum libri  
pleni sunt laudum tuarum, & jucundissima gratissimá  
que oratione commemorant maxima tua erga rem publi-  
cam literariam merita. Sed nos tamen, qui virtutem  
tuam oculis usurpamus, qui rerum quae à te præclare  
geruntur testes sumus, quibus ad colendum te familiarius  
occasiones patent, qui summis tuis beneficijs quotidie  
ornamur, cùm simus alienigenis bac quidem in parte  
beatores, magis etiam grati esse debemus & magis intenti  
ad commemorationem laudum tuarum. Verum ut facile  
nobis atque in promptu est memoriam beneficiorum tuo-  
rum servare & testatam tibi facere, **VIR** **ILLVS-**

## EPISTOLA.

TRISSIME, ita difficultissimum est enarrare laudes tuas, tum quia tu vetas scribi quod animi omnium nostrum sentiunt, tum quia majora facis quam ut à nobis explicari possint cum ea dignitate quam ingentes virtutes tuae postulare videntur. Ad me quod attinet, præterquam quod totum illud honestissimum otium quo fruor, à tua benignitate mibi conceditur, præterquam quod bibliothecam tuam, thesaurum illum optimorum librorum editorum & ineditorum, amores & delicias tuas, mibi commisisti curandam, unde ampla studiorum meorum seges ac materia oritur, in ista nominatim capitularium editione procuranda quanto mibi adjumento fuerit propensus ille tuus in literas nostras studiaque mea affectus hæc res indicio est quod auctoritate tua effeciisti ut vetera eorum exemplaria, quorum copiam absque te habere nunquam potuisssem, hoc ad me perferrentur ex longinquis provincijs ac regionibus. Præterea bibliotheca tua magnum incrementum attulit huic meo operi, ut quæ mibi subministravit vetustissimos & optimos codices manuscriptos in quibus aliquot Imperatorum Regumque nostrorum capitularia reperta sunt quæ hactenus latuerant, præcipue verò celebris illa Francie regni divisio quam Ludovicus Pius instituit anno DCCCXVII. quæ tot bellorum ac discordiarum inter eum filiosque ejus causa & origo fuit, & quam hactenus homines eruditi desideraverant, frustra quæsierant. Habui quoque ex eadem bibliotheca tua vetustissimum exemplar capitularium Karoli Magni & Ludovici Pij ab Ansegiso Abate & Benedicto Levita collectorum, cuius in primis ope

ā iiij

## E P I S T O L A.

superiores editiones emendavi, ordinem capitulorum ab ijs qui primi illa in lucem emiserunt perturbatum revocavi, que illi exemerant ac detraxerant restitui suis locis, pristinam denique formam reddidi libris capitularium. Isaaci quin etiam Lingonensis Episcopi canones, quos ille collegit ex tribus postremis capitularium libris, & quos ego ob eam causam subjunxi capitularibus, contuli cum vetustissimo eorundem canonum exemplari quod extat inter tot venerandæ antiquitatis codices manuscriptos qui partem non contemnendam faciunt ejusdem bibliothecæ tuæ. Denique in ijsdem codicibus reperi plurima illustria veterum temporum ac ævi præcipue Karolini monumenta nondum edita, quibus usus sum ad illustrandas res quæ in capitularibus continentur, ad explicandas difficultates quæ in libris & historijs nostratis occurront, eaque edidi cum ipsis capitularibus. Iure igitur meritòque dicanda tibi venit hæc collectio, **ILLVSTRISSIME DOMINE**, quæ suam tibi debet integritatem, quæ sua ornamenta tibi refert accepta, cuius demum favore fulta secura exibit adversus sycophantæ morsum, & favorabiliter apud omnes ubique gentes excipietur. Erit autem illa etiam index grati animi mei & aeternum reverentiae in te meæ monumentum.

Lutetia Pariforum postrid. Idus Novembr. M D C L X X V I .

STEPH. BALVZIVS.